



*hujus tenoris: ne quis filiofamilias in mortem parentum foenori daret pecunias c).*

Variis tamen fraudibus cum et hanc eliderent pessimi foeneratores Legem Claudiam, dum non amplius post parentum mortem diem praefigerent solutionis, sed incertis nominibus i. e. in terminum solutionis incertum crederent, denique Senatus romanus ad omnem turpem foeneratorum improbitatem et fraudem refrenandam et opprimendam sub Imperio Vespasiani d) quo anno non constat, nostrum promulgavit S<sup>c</sup>tum Macedonianum, quod nomen suum ab improbissimo et iniquissimo foeneratore accepit Macedone e), quodque omne omnino jus mutuum a filiofamilias contractum repetendi creditoribus ademit. Haec de occasione atque historia hujus S<sup>c</sup>ti hic sufficientia dicta, plura qui legere velit, evolvat eos, qui ex instituto illam pertractarunt materiam f).

#### §. IV.

c) Et haec est constitutio de qua TACITVS in Annalibus L. XI. c. 13. loquitur.

d) Vid s<sup>c</sup>ETONIVS in vita Vespasiani c. XI. ibi; auctor Senatui fuit decernendi, ut quae se servo alieno iunxit set ancilla haberetur, neve filiorumfamilias foeneratoribus exigendi crediti ius umquam esset, h. e. ne post patrum quidem mortem.

e) Quod ipsa S<sup>c</sup>ti verba indicant: *Macedo — materiam peccundi malis moribus praestaret &c.*

f) Inter caeteros praesertim FERD. AVG. HOMMEL diff. de mutuo filiofamilias iam ante S<sup>c</sup>tum Macedonianum invalido. Lips. 1726.